

SECTIO III<sup>a</sup>

## DE SCHOLIS CLERICORUM.

Persolutis quaestionibus de clericorum statu, ordinatione, obligationibus et privilegiis, disserere opportunum ducimus de clericorum collegiis quæ studiorum causa et cultus publici instituta sunt, nempe de scholis clericalibus, et de capitulis. Incipiemus a scholis, quæ in triplicem classem distribuuntur. Aliæ erectæ sunt in gratiam puerorum, qui rudimenta litterarum artesque liberales ediscunt; aliæ destinantur clericis, qui proxime disponuntur ad susceptionem ordinum, et ad exercitium sacri ministerii; aliæ tandem ordinantur ad explanationem eruditam et scientificam disciplinæ sacræ.

## ARTICULUS I. — DE SEMINARIORUM INSTITUTIONE.

364. — I<sup>o</sup> *Quæ sint obligationes et jura Episcoporum quoad seminariorum institutionem?*

I. Cum recta et accurata institutio cleri ad religionis prosperitatem, atque ad sanam doctrinam tuendam magnopere conducat, Romani Pontifices et sanctissimi Præsules suas omnes curas cogitationesque in id præsertim singulari vigilantia conferre nunquam intermiserunt, ut omnes in sortem Domini vo-

cati ad pietatem sedulo fingerentur, ac litteris et disciplinis potissimum sacris rite imbuerentur. Quapropter multi canones ad hunc finem edicti sunt ab antiquis temporibus, ut essent singulis in præcipuis civitatibus prope Ecclesiam cathedralem magistri qui pueros edocerent. Hæc præ cæteris statuit conc. Lateranense, an. 1162 : « Quoniam Ecclesia Dei sicut pia mater  
« providere tenetur ne pauperibus qui parentum opibus juvari  
« non possunt, legendi et proficiendi opportunitas subtrahatur,  
« per unamquamque Ecclesiam cathedralem magistro qui cleri-  
« cos ejusdem et scholares pauperes gratis doceat, competens  
« aliquod beneficium præbeatur. » Cap. *Quoniam*, 1, DE MAGIS-  
TRIS. Eandem legem innovavit aliud concilium Lateranense sub Innocentio III celebratum sæculo decimo tertio : « Nos prædic-  
« tum roborantes statutum, adjicimus ut non solum in qua-  
« libet cathedrali Ecclesia, sed etiam in aliis quarum sufficere  
« poterunt facultates, constituatur magister idoneus, a Præ-  
« lato, cum capitulo, qui clericos Ecclesiarum ipsarum gratis  
« in grammatica facultate ac alios instruat juxta posse. » Cap. *Quia nonnullis*, 4, eod. tit.

Percelebris est constitutio quam ætate recentiori edidit concilium Tridentinum, et cujus verba ponderare oportet : « Cum  
« adolescentium ætas, nisi recte instituatur, prona sit ad  
« mundi voluptates sequendas, et nisi a teneris annis ad pie-  
« tatem et religionem informetur, antequam vitiorum habitus  
« tollos homines possideat, nunquam perfecte ac sine maximo  
« ac singulari propemodum Dei omnipotentis auxilio in disci-  
« plina ecclesiastica perseveret; sancta synodus statuit ut sin-  
« gulæ cathedrales, metropolitanæ, atque his majores Eccle-  
« siæ, pro modo facultatum et diœcesis amplitudine, certum  
« puerorum ipsius civitatis et diœcesis, vel ejus provinciæ, si  
« ibi non reperiantur, numerum in collegio ad hoc prope Ec-  
« clesias ipsas vel alio in loco convenienti, ab Episcopo eligendo,  
« alere ac religiose educare, et ecclesiasticis disciplinis instituere  
« teneantur. » Sess. xxiii, cap. xviii, *de Reform.*

Hujusmodi institutum quod veteres tanta vigilantia ac sollicitudine commendaverunt, quodque synodus Tridentina utilissimum suo tempore existimabat, his præsertim temporibus necessarium est, « quibus, ait SS. NN. Pius IX, Ecclesiæ rationes omnino postulant ut magis optimorum sacerdotum sobolescat copia, qui virtutum omnium ornatu fulgentes, ac sana solidaque pollentes doctrina, valeant proprii ministerii muneribus pie sciteque perfungi, christianam plebem sedulo erudire, animarum saluti accurate consulere, errantes ad veritatis et justitiæ semitas reducere, ac Dei et sanctæ Ecclesiæ causam strenue scienterque defendere<sup>1</sup>. » Parentes plerumque non satis provident de religiosa puerorum educatione; in scholis vero quæ laicis sunt destinatæ multa desiderantur ad informationem vitæ christianæ, ac sæpius gravissima pericula urgent, adeo ut, nisi speciales constituantur scholæ pro institutione clericali puerorum, perpauca admodum ad sacrum ministerium idonei assumerentur, paulatimque in his nostris regionibus deficeret tribus levitica.

565. — II. Jam vero, ut ad quæstionem propositam redeamus, quæ sint jura atque obligationes Episcoporum ex prænaratis colligitur.

Concludendum est 1º Episcopis jus inesse, officio suo divinitus annexum, erigendi majora et minora seminaria junioribus pueris ad statum clericalem informandis; ac simul præscribendi methodum quam magistri sequantur, libros quibus alumni uti debeant, exercitia quibus vacent, uno verbo rationem studiorum et vitæ disciplinam. Cum ea sit necessitas scholarum clericalium, ad conservationem fidei et accuratam cleri institutionem, nemini catholico dubium est quin hæc cuncta sollicitudini pastoralis Episcoporum jure divino committantur. Ea potissimum ratione Antistites Galliarum liber-

<sup>1</sup> Litteræ apostolicæ *Cum Romani*, quibus seminarium Pium instituitur ann. 1855.

tatem seminariorum minorum a regimine Universitatis civilis tanta unanimitate vindicaverunt, nihilque intermiserunt ut sibi integra servaretur.

Concludendum est 2º Episcopos teneri jure canonico erigere seminarium juniorum clericorum in sua diocesi, nisi tamen pro exiguitate loci, aut penuria facultatum, opportunius existiment clericos in seminario provinciæ, aliove loco convenienti, religiose educare.

Leges a conciliis edictæ, non fuerunt servatæ, per diuturnum tempus, cum ea cura quam tanti momenti negotium requirebat. Sanctus Carolus Borromeus summam diligentiam adhibuit observationi decretorum concilii Tridentini; at pauci eandem sollicitudinem habuerunt, adeo ut Benedictus XIII, Const. *Credita nobis*, an. 1725, ad omnes Episcopos Italiæ et insularum adjacentium directa, conquestus sit quod *in plerisque locis* minime reperirentur seminaria erecta, ac simul districte injungendum, præcipiendum et mandandum duxerit ut in singulis cathedralibus, in quibus hactenus seminarium erectum non fuisset, quamprimum erigeretur et omnino institui curarent Episcopi. Idem iterum injunxit Benedictus XIV per litteras apostolicas *Ubi primum*, an. 1740. In Galliis concilia provincialia, post Tridentinum celebrata, maximo studio decretum de seminariorum erectione amplexata sunt; erat quippe omnibus persuasum nihil cogitari posse efficacius ad reddendum Ecclesiæ pristinum nitorem, et clero sacerdotioque decus pristinum, quam hæc pia instituta in quibus clerici a teneris annis ad pietatem et disciplinam informarentur. Attamen quidquid conati fuerint plures Præsules exemplo sancti Caroli, seminaria felici successu non processerunt, usquedum Deus suscitavit quosdam sacerdotes qui omnes suas operas, vitamque, seminariis devoverunt<sup>1</sup>.

<sup>1</sup> Cf. *Vie de S. Vincent de Paul*, liv. II. chap. XI; — *Vie de M. Olier*, tom. I, liv. IX; — *Notes sur l'établissement des séminaires en France*.

366. — II. *Quid decreto concilii Tridentini præscriptum sit pro regimine seminariorum?*

Decretum concilii multa complectitur quæ ad alumnorum admissionem, ad rationem studiorum et disciplinæ, tandem ad regimen spirituale et temporale seminarii referuntur.

I. *De alumnorum admissione* statuitur: « Recipiantur  
« qui ad minimum duodecim annos, et ex legitimo matri-  
« monio nati sint; ac legere et scribere competenter noverint,  
« et quorum indoles et voluntas spem afferat eos ecclesiasticis  
« ministeriis perpetuo inservituros. Pauperum autem filios præ-  
« cipue eligi vult (sancta synodus); nec tamen ditiorum exclu-  
« dit, modo suo sumptu alantur, et studium præ se ferant Deo  
« et Ecclesiæ inserviendi... »

Verba concilii supponere videntur omnes alumnos cujusvis ætatis in eodem seminario institui, licet divisos in tot classes quot Episcopo videbitur, juxta numerum, ætatem, ac in disciplina ecclesiastica progressum. Sed mens concilii non fuit prohibere quominus plura erigerentur collegia; alia in favorem puerorum, aliud vero pro adolescentibus qui theologiæ student, ac proxime disponuntur ad sacros ordines.

Conditionem appositam de legitimis natalitiis puerorum ita servandam duxit S. Congregatio ut, ann. 1595, ad dubium propositum, responderit spurios admittendos non fore ab Episcopo in seminariis, ne exceptis quidem qui super defectu natalium dispensationem obtinuerint ad recipiendum beneficia, canonicatum et dignitatem, nisi specialem insuper veniam habeant ingrediendi seminarium. (Giraldi, *Expositio juris pontificii*, part. II, sect. cviii.)

Aliam conditionem pensare sedulo juvat, ut nimirum alumni præ se ferant signa vocationis ad statum clericalem; unde merito deducimus mentem concilii nullatenus fuisse ut in eodem seminario clerici ac laici insimul instituantur; expressis enim verbis decrevit filios ditiorum non esse admittendos, nisi *studium præ se ferant Deo et Ecclesiæ inserviendi*. Commixtio laicorum cum

clericis in seminariis minoribus multis incommodis obnoxia est; plurimum namque obstat ne juniores pueri in sortem Domini vocati, clericalem indolem induant.

Demum necesse est ut alumni recipiendi examinentur, atque de illorum idoneitate ad sacrum ministerium sufficienter constet. Si de parvulis agatur, concilium nihil aliud requirit præter quod legere et scribere competenter noverint; qui vero admitti postulant in seminario majori, debent humaniorum litterarum curriculum absolvisse<sup>1</sup>.

367. — II. *De studiorum ratione et pietatis exercitiis*, hæc eodem decreto continentur: « Ut in disciplina ecclesiastica com-  
« modius instituantur, tonsura statim atque habitu clericali  
« semper utentur: grammatices, cantus, computi ecclesiastici,  
« aliarumque bonarum artium disciplinam discent: sacram  
« Scripturam, libros ecclesiasticos, homilias sanctorum, atque  
« sacramentorum tradendorum, maxime quæ ad confessiones au-  
« diendas videbuntur opportuna, et rituum ac cæremoniarum  
« formas ediscent. Curet Episcopus ut singulis diebus Missæ  
« sacrificio intersint, ac saltem singulis mensibus confiteantur  
« peccata; et juxta confessoris sententiam sumant corpus Do-  
« mini J. C.; Cathedrali et aliis loci Ecclesiis diebus festis in-  
« serviant. »

Multa annotanda essent ad sensum hujus decreti, quæ

<sup>1</sup> Exempli causa referemus quod statuit SS. NN. Pius IX quoad seminarium Pium. « Cum in seminario Pio studiorum curriculum a philosophia initium  
« ducere debeat, clerici petitores specimen exhibere tenentur de humanio-  
« rum litterarum, rhetoricæ artis, et linguæ Latine peritia, quam scripto  
« experiantur oportet: 1° super argumento quod ex improvise propositum  
« Latina soluta oratione, velut in rhetoricis scholis fieri solet, erit compo-  
« nendum, tractandum et scribendum; 2° item in Latina poesi super argu-  
« mento quod pariter extempore erit proponendum; 3° in extemporalibus  
« Italica translatione alicujus clarissimi auctoris Latini. » Alias condiciones  
« indicat eadem Constitutio: « Nemo admittatur nisi ex anteaclæ vitæ  
« ratione ad sacerdotium se vocari sentiat; qui hujusmodi vocatione caret,  
« quamvis bonos præ se ferat mores, ac sui spem exhibeat, dimittetur...  
« sano præterea sint corpore, lingua minime impedita, et ad aspectu non  
« deformi. » Tit. iv, vi.

brevitatis causa prætermittimus. Hæc pro instituto sufficient :

1° Quod concilium præscribit de tonsura et habitu clericali, confirmat assertionem modo datam, scilicet seminaria, etiam minora, eo unice tendere debere ut ecclesiastici viri instituantur, bono Ecclesiæ in muneribus sacri ministerii olim profuturi.

2° Facultates addiscendæ in seminario majori sunt : theologia dogmatica et moralis, divinorum librorum scientia, historia ecclesiastica, jus canonicum, sacri ritus, et quæ ad sacramentorum dispensationem regimenque parochiarum maxime opportuna videntur. Valde refert ad illarum scientiarum rationem, ut studia majoris seminarii a philosophia initium ducant, quemadmodum recens constitutum fuit pro seminario Pio, et communius servatur in Galliis, quia maxima est connexio inter philosophiam et sacram theologiam ; experientia insuper satis compertum est philosophiam eo modo traditam in minoribus seminariis, seu aliis collegiis, qui junioribus alumniis ad statum etiam laicalem sæcularesque artes destinatis conveniat, insufficientem omnino haberi clericis, ut recte disponantur ad theologiæ studium.

Quod ad cantum spectat, abs re non erit animadvertere Benedictum XIII jussisse per Const. *Creditæ nobis*, cantum ad præscriptum concilii clericis ediscendum, esse cantum planum, qui communiter *Gregorianus* appellatur ; de quo etiam SS. NN. Pius IX pro seminario Pio statuit : « Cantus Gregorianus, « omni alio rejecto, tradetur. » (Tit. v.)

3° Concilia provincialia præscripserunt ut « linguæ Latinæ, « quæ est ipsius Ecclesiæ lingua et scientiæ catholicæ instru- « mentum, aiunt patres concilii Parisiensis, omni conatu foveant « ac tueantur. Ideoque semper, aut fere semper, in philosophi- « cis et theologicis exercitationibus latine loquantur, tum ma- « gistri, tum etiam discipuli. » Quoad vero materiam studiorum, indixerunt ut philosophiæ juxta methodum scholasticam, et saltem per annum, operam dent omnes qui ad clericalem statum

se disponunt ; ut theologicis ac sacrarum Scripturarum studiis adjiciantur prælectiones de jure canonico, de historia ecclesiastica, de administratione spirituali et temporali parœciarum, cum exercitationibus eloquentiæ sacræ. (Concilia provinciarum Parisiensis, Turonensis, Remensis, Burdigalensis).

4° Alumni seminarii inserviunt Cathedrali et aliis loci Ecclesiis pro locorum opportunitate, ut sacro ministerio assuescant, simulque curas ab ineunte tirocinio clericali impendant in cultum publicum ; sed ratio habenda est studiorum ac disciplinæ, ne exinde detrimentum patiantur. Dubium olim propositum est S. Congregationi, an etiam alumni qui propriis sumptibus aluntur, teneantur ad præstandum hoc servitium Ecclesiis. Responsum fuit affirmative, cum clausula : « Partes Epi- « scopi esse ita moderate et prudenter se gerere in hac facul- « tate, ut hinc seminarium ipsum nullum detrimentum patiat- « tur. » Benedictus XIII Episcopis præterea interdixit ne pro se, vel suis vicariis aut familiaribus quibuscumque, utantur sub quovis prætextu famulis, aut officialibus, vel lectoribus, magistris, sacerdotibus et clericis seminarii, hoc addito : « Non « tamen prohibere intendimus Episcopo pontificalia exercenti, « ne cæremoniarum magistro vel sacerdotibus a seminario « retentis uti possit ; imo ut eorum opera et assistentia in ejus- « modi sacris functionibus libere uti valeat, plenam ipsi Epi- « scopo tribuimus facultatem. » (Giraldi, *Expositio juris pontifi- « cii*, part. II, sect. CVIII.)

368. — III. *De regimine spirituali et temporali seminariorum* multa præscripsit concilium, hæc præsertim :

1° Quoad regimen spirituale « ... quæ omnia (in præceden- « tibus memorata) atque alia ad hanc rem opportuna et neces- « saria, Episcopi singuli cum consilio duorum canonicorum « seniorum et graviorum quos ipsi elegerint, prout Spiritus « sanctus suggesserit, constituent ; eaque ut semper observen- « tur, sæpius visitando, operam dabunt. »

Consilium proinde duorum canonicorum adhibere debet

Episcopus in constituendis regulis seminarii, in admissione alumnorum et expulsionem discolorum, in electione rectoris, prorektoris, professorum (excepto tamen si administratio seminarii ordini regulari commissa sit), in delectu librorum, in visitatione seminarii; uno verbo, in omnibus quæ ad rationem studiorum, ac pietatis disciplinam spectant. Hæc agere, constituere, decernere, non valet Episcopus, nisi habito consilio cum canonicis, etsi non teneatur sequi illorum vota, sed possit sua providentia res componere.

S. Congregatio declaravit canonicos semel electos non mutandos arbitraria voluntate; sed servandos esse in suo officio, nisi gravis ratio illos amovendi intercesserit<sup>1</sup>.

2º Quoad regimen temporale, aliud consilium Episcopo assignatur; decretum statuit ut quæ ad collegii fabricam instituendam, ad mercedem præceptoribus et ministris solvendam, ad alendam juventutem, opportuna erunt, Episcopus provideat, « cum consilio duorum de capitulo, quorum alter ab Episcopo, alter ab ipso capitulo eligatur; itemque duorum de clero civitatis quorum quidem alterius electio similiter ad Episcopum, alterius vero ad clerum pertineat. »

Supponimus hanc ultimam electionem fieri ab universo clero diœcesis, saltem a parochis et beneficiatis, siquidem consilium eam clero tributam esse voluit. Consiliarius seligi quidem debet e clero civitatis, ut præsto sit quoties opus fuerit, sed ipsamet electio fit ab universo clero, quia cum omnes beneficiati gravari debeant novis oneribus ad subveniendum sumptibus necessariis, si indigeat seminarium, totius cleri interest ut accurate administrantur bona temporalia. (*Thesaurus resol.*, tom. LXI, pag. 160.)

Quatuor consilarii eliguntur in perpetuum, non secus ac ceteri de quibus modo agebamus, eo sensu quod non mutandi

<sup>1</sup> Giraldis, part. II, sect. cix et cx: — *Thesaurus resolutionum*, t. VII, ann. 1736, pag. 242.

sint absque gravi ratione; suffragium similiter habent consultativum, non decisivum.

Si ad textum concilii attendamus, consultatio deputatorum videretur tantummodo requiri ad detrahendum partem aliquam ex fructibus integris mensæ episcopalis et capituli, nec non omnium beneficiorum diœcesis, et ad applicandum atque incorporandum hanc partem seminario, et etiam pro casu in quo oritur aliqua difficultas unde perturbaretur institutum seminarii; non enim ad alia negotia temporalia decretum protenditur. At jurisprudentia, cujus testis et interpretes est S. Congregatio, Episcopum adegit ad adhibendum consilium quatuor deputatorum in omni actu temporalis administrationis, adeo ut nec admittere aut expellere famulos seminarii, nec provisionibus frumentorum providere, nec quotidianas impensas determinare aliter valeret, atque vi omnino carerent quæ in ea materia, non servata forma præscripta, statuerit<sup>1</sup>.

3º Præter duas commissiones indicatas, tertia instituitur pro annua redditione rationis regimini temporalis; sic enim habet decretum Tridentinum: « Rationes reddituum seminarii Episcopus annis singulis accipiat, præsentibus duobus a capitulo, et totidem a clero civitatis deputatis. » Si coram iisdem ac supra consiliariis ratio reddituum exhibenda foret, concilium non dixisset: *præsentibus duobus a capitulo deputatis*, etc., nam ex consiliariis qui regimini temporali per annum Episcopo adsistunt, unus tantummodo a capitulo, et alter a clero eliguntur. Præsumendum est proinde specialem commissionem a concilio institui ut majori cura quotannis regulerentur computi seminarii. Cæterum, nihil obstat quominus capitulum et clerus suos deputatos respectivos ad utrumque finem eligat, et simul gratos habeat quos Episcopus assumpserit ad illam rationem reddituum.

<sup>1</sup> Giraldis, part. II, sect. cx; — Pignatelli, tom. IX, *Consult.* lxxxv, n° 62; — Benedictus XIV, *de Synodo*, lib. V, cap. xi, n° 5-10.

569. — IV. *De unitate seminarii in singulis diocesis* legitur in decreto : « In Ecclesiis amplas dioceses habentibus, possit Episcopus unum vel plura in diocesi, prout sibi « opportunum videbitur, habere seminaria ; quæ tamen ab « illo uno quod in civitate erectum et constitutum fuerit, in « omnibus dependeant. » Verba sunt concilii, ex quibus con-  
 jicimus intentionem concilii fuisse, ad servandam unitatem in institutis quæ in eundem finem conspirant, ut singula eidem rectori qui majori seminario præest, subdantur, iisdemque consiliariis in regimine tum spirituali, tum temporali, omnium scholarum clericalium suæ diocesis, Episcopus utatur.

570. — *Nota 1<sup>o</sup>* : Si cuncta componenda sint stricta interpretatione ad præscriptum decreti concilii de regimine seminariorum, Episcopus non poterit, absque beneplacito apostolico, seminarium in perpetuum committere Ordini regulari, seu alteri cuilibet Congregationi ; siquidem hujusmodi concessio derogat decreto concilii. Privat nimirum futuros in eadem sede episcopali titulares jure singulis Episcopis asserto, nominandi rectorem, ac magistros sui seminarii ; et amovet commissiones deputatorum a clero.

Hinc Antistites Ecclesiarum in quibus decretum Tridentinum ad amussim servatur, consueverunt recurrere ad Sanctam Sedem, quoties in votis habuerunt committere seminaria administrationi clericorum regularium cujuslibet instituti, et ipsa Sedes, dum benigne postulatis annuit, conditionem apponere nunquam prætermisit : *ita tamen ut alumni nominentur ab Episcopo, et seminarium sit sub patrocinio, protectione et subjectione Episcopi*. Seminarium, natura ipsamet rei, est semper ac necessario schola episcopalis ; nulla ratione, sub quovis pretextu, seu vi cujuslibet concordati, subduci potest jurisdictioni Ordinarii loci.

571. — *Nota 2<sup>o</sup>* : In Galliis nulla est diocesis quæ non habeat a diuturno tempore sua seminaria prudenti ratione administrata ad clericalem alumnorum educationem. Episcopi,

quando etiam communitatibus seu congregationibus demandant curam seminariorum, sibi suisque successoribus jus reservant aliter eorum regimini providendi, si opportunum postea judicaverint, adeo ut plenam ea de re libertatem retineant. Sive autem seminaria commiserint presbyteris diocesis, sive congregationibus, non videtur quod commissiones ullibi instituerint modo quem concilium Tridentinum indixit.

Sunt alia capita in quibus receditur a statutis Tridentinis : admissi semper fuerunt in seminariis pueri irregulares ob defectum natalium, qui utiles fore præsumuntur Ecclesiis, et qui obtinuerunt, vel obtinere, tempore opportuno, sperant dispensationem super defectu natalium... Usu non servatur in minoribus seminariis, ut pueri tonsura clericali statim initiuntur, vel etiam habitu clericali utantur, quod visum fuit dimittendum prudentiæ superiorum.

Incertum nobis est quas ob causas præsules nostri, etiam ab initio, ordinaverint sua respectiva seminaria, non convocatis commissionibus deputatorum a capitulo et clero. Hæc tamen, non dijudicando, præsumimus : 1<sup>o</sup> Necessitas assumendi duos canonicos in consilium pro regimine spirituali seminarii, videri potuit consecrarium, seu applicatio, regulæ generalis vi cujus olim Episcopi omnia negotia diocesis una cum suo capitulo regebant ; quapropter cum eidem regulæ in Galliis, sicut in aliis Ecclesiis usu contrario esset quoad directionem scholarum clericalium derogatum, Episcopi non arbitrati sunt se leges canonicas transgredi, si abstinerent a consilii capituli exquirendis in iis quæ erant regiminis seminarii. 2<sup>o</sup> Necessitas item providendi regimini temporali seminariorum, exploratis votis deputatorum a capitulo et a clero, eo præsertim fine probabiliter imposita fuit Episcopis ut facultate sibi data uterentur partem aliquam sumendi ex omnibus beneficiis, illamque seminario incorporandi, atque uniendi seminario beneficia simplicia, et alia hujusmodi peragendi quæ totius cleri causam affliciebant ; cum autem Episcopi nullam taxam clericis imposuerint,

et si quædam beneficia simplicia unierint, id in cœtibus synodicalibus cleri diœcesani præstiterint, necessarium non duxerunt habere in consiliis deputatos cleri et capituli. 5º Tandem, cum ab exordio seminaria erecta sint a Congregationibus sæcularibus quæ melius noverant normam seminariorum, aptioremque methodum clericos educandi, minoris utilitatis tunc temporis visæ sunt commissiones deputatorum; quinimo timendum forte fuisset, ne impedimentum potius huic salubri instituto afferrent.

Quacumque ratione ad sic agendum adducti fuerint, certum est venerabiles Domini sacerdotes, qui tanta sollicitudine tantoque zelo instaurandæ disciplinæ operas dederunt institutioni seminariorum in Galliis, inter quos unum citabimus sanctum Vincentium a Paulo, optima fide existimasse seminaria institui et regi potuisse sine commissionibus de quibus statuit concilium, tametsi decretum minime ignoraverint. Idem dicendum de tot Antistitibus quos studium disciplinæ commendavit. Neminem aliunde latet quam uberes fructus ex suis seminariis, ea ratione institutis, Ecclesia Galliarum reportaverit; de quo non semel Episcopis, cum relationem status suarum diœceseon afferebant, SS. Pontifices paterno affectu congratulati sunt; quapropter existimamus rerum ordinem, tam diuturna et constanti consuetudine, tantoque fructu ad clericorum institutionem observatum, fuisse tacito saltem assensu Sanctæ Sedis probatum, et tuto servari posse, donec eadem Sancta Sedes disciplinam Ecclesiarum Galliæ mutandam esse judicaverit.

ARTICULUS II. — DE UNIVERSITATIBUS SEU ACADEMIIS.

372. — Iº *Quid sint Universitates catholicæ, et qua auctoritate canonice constituentur?*

I. Universitates appellantur scholæ publicæ in quibus

sacra doctrina, scientiæ humanæ, artesque liberales traduntur.

Prima Universitatum initia comperimus in domibus episcopalibus, ubi olim sub magisterio Archidiaconorum clerici disciplina, litteris ac theologia informabantur. Hæc deinceps, ab octavo præsertim sæculo, felici successu exulta sunt in monasteriis quorum plurima floruerunt studio litterarum, ita disponente divina Providentia in bonum Ecclesiæ universalis, quando ob varia temporum discrimina Episcopi plerumque non sufficiebant institutioni clericorum. Tandem erectæ sunt in præcipuis urbibus scholæ publicæ ad quas viri periti dialecticæ, Scripturarum et theologiæ, multos discipulos attraxerunt; ex illis autem scholis prodierunt Universitates Parisiensis, Bononiensis, Salmanticensis, Lovaniensis, Oxoniensis, et plures aliæ, quarum præcipuas tantum, honoris causa, memoramus<sup>1</sup>.

II. Auctoritas ecclesiastica sola valet erigere Universitatem proprie dictam, quæ scilicet complectatur facultates theologiæ et juris canonici; si autem habere debeat privilegia doctoratus quæ ultra limites diœcesis aut etiam provinciæ protendantur, interveniat necesse est suprema potestas Sedis Apostolicæ.

Nihil sane magis optandum quam ut scientiarum etiam humanarum ratio ac methodus dirigatur ab Ecclesia; omnes enim scientiæ una simul componuntur; a Verbo quod est *via*, *veritas* et *vita* procedunt; in eundemque finem ulterius conspirant. Alexander IV in *Brevi Parisius*, an. 1250, ad magistros scholæ Parisiensis, scientiarum correlationes in Universitate rite ordinata, sic explicabat: « Hic conversantur et degunt

<sup>1</sup> Quum non debeamus, pro operis instituto, originem, progressum et discrimina Universitatum præcipuarum enarrare, indicabimus *Historiam Universitatis Parisiensis*, 6 vol. in-fol.; item, *Histoire de l'Université de Paris*, par Crévier, 7 vol. in-12, ubi multa reperiuntur de Universitatibus Galliæ, Italiæ, Hispaniæ, etc.

« scientiæ, hic firma et læta societate convivunt; inter quas  
 « sacra et venerabilis theologia locum altiore obtinet; præest  
 « enim reliquis ut superior, et tanquam inferiores cæteræ  
 « sibi subsunt... Ad hanc singulæ in viis suis levant et habent  
 « introitum ut... inoffense incedant et gressum ad aliquod  
 « inconveniens non impingant<sup>4</sup>. » Ipsa societas civilis pluri-  
 mum exinde commodum reportat, quando quidem compertum  
 est « Litterarum cognitionem, liberalesque doctrinas et disci-  
 « plinas quibus juvenus in publicis gymnasiis instruitur et  
 « eruditur, magnam reipublicæ christianæ, si cum pietate con-  
 « jungantur, afferre utilitatem; tunc enim civitates et regna  
 « optime administrantur, cum sapientes atque intelligentes  
 « gubernacula possident. »

Non mirum igitur si olim nulla erecta sit Universitas quæ  
 non committeretur regimini Ecclesiæ, ab illaque approbatio-  
 nem cum privilegiis obtineret; quod et præsentī adhuc ætate  
 servandum est quoties vera formatur Universitas. Quoniam jure  
 Princeps sæcularis constituat collegia ad docendum disciplinas  
 ecclesiasticas, Scripturas sacras, theologiam, jus canonicum,  
 aliaque his affinia?... Cum Episcopi Belgarum curam impende-  
 rent in instaurandam Universitatem Lovaniensem, recurrere  
 non omiserunt ad Ecclesiam Romanam, et Gregorius XVI,  
 felicis recordationis, ad illorum postulata respondit: « ... Hanc  
 « vos rationem secuti, id egistis, quod ab antiquis temporibus  
 « consuetudo induxit, quodque debita huic Sedi reverentia et  
 « observantia merito exigit. Cum enim ad Rom. Pontifices pro  
 « credito ipsis officii munere maxime pertineat fidem catholi-  
 « cam tueri, sanctæque ejus doctrinæ integrum depositum  
 « intemeratumque custodire, eorum quoque esse debet sacra-  
 « rum disciplinarum quæ publice in universitatibus tradun-  
 « tur, institutionem moderari. Atque hæc causa fuit cur ca-  
 « tholici etiam principes, cum de ejusmodi academiæ studii

<sup>4</sup> *Bullarium F. Prædicatorum*, tom. I, pag. 522.

« diis statuendis cogitent, Apostolicam Sedem consulendam,  
 « ejusque auctoritatem exquirendam duxerint. Hinc celebri-  
 « res illustrioresque Universitates, non nisi ex sententia et  
 « assensu RR. PP. constitutas, gravissimæ illarum historiæ  
 « amplissime testantur. »

575. — II<sup>o</sup> *Quodnam sit regimen Universitatum in genere?*

Singulæ Universitates sua peculiaria statuta habent: quæ-  
 dam tamen sunt omnibus communia, quæ ad solvendam  
 propositam quæstionem paucis exponere necesse est, ex  
 iis præsertim quæ ad regimen generale Universitatum,  
 ad professores facultatum et ad collationem graduum refe-  
 runtur.

I. In quavis Universitate numeris omnibus absoluta, sunt  
 plures facultates, ut auditores possint proficere in omni disci-  
 plinarum varietate, quique primorum studiorum cursum  
 expleverint opportunitatem habeant acquirendi uberrimam  
 cognitionem doctrinarum quibus jam se excoluerunt. Sunt  
 præsertim facultates litterarum, philosophiæ, theologiæ, juris  
 canonici et civilis, medico-chirurgiæ, scientiarum matheseos  
 et physiciæ. Singulæ autem facultates habent tot cathedras  
 quot variis partibus scientiæ sufficere possint. V. g.: facultas  
 theologica complectitur studium philologiæ sacre, divinarum  
 Scripturarum, theologiæ dogmaticæ et moralis, liturgiæ, tra-  
 ditionis SS. Patrum, historiæ ecclesiasticæ...

574. — II. Universitati præest cancellarius aut rector; sin-  
 gulis facultatibus præsunt decani, juxta singularum Academia-  
 rum statuta.

Exempli causa citemus Universitates constitutas in ditione  
 temporali S. Sedis, quales ordinavit Leo XII per litteras apo-  
 stolicas *Quod divina sapientia*, an. 1824. Porro, distinctione  
 facta inter primarias et secundarias Universitates, statuitur  
 præsidem Romanæ Universitatis esse archicancellarium, qui  
 titulus collatus est Cardinali Camerario; et cancellarium uni-



versitatum minorum esse Archiepiscopum vel Episcopum civitatis. Archicancellarii et cancellarii optimo Universitatum regimini advigilant, et dant operam ut constitutiones et regulæ serventur. Habent jurisdictionem vi cuius possunt animadvertere in eos qui intra fines Universitatum delicta commiserint. Præsunt electioni professorum, publicæ graduum academicorum collationi, ac præmiorum distributioni.

Præter archicancellarium seu cancellarium, existit in singulis Universitatibus rector, cujus munus est providere ne disciplina a professoribus, auditoribus et famulis tenenda, violetur; calendarium anni scholastici conficit, ac prælectionum horas convenienter distribuere debet, ut quilibet auditorum valeat illis interesse quæ ipsi præscribuntur ad gradus capessendos. Primum locum obtinet rector post cancellarium, et si cancellarius absit aut impediatur, vices illius gerit cum eadem auctoritate.

Unicuique facultati præest decanus, qui cum suæ facultatis collegio, atque servatis regulis constitutis, ea providet quæ ad regimen, decus, atque prosperitatem facultatis conducant. Scopus et officium collegii est præterea examina habere, et suffragia ferre in deligendis professoribus et collatione laurearum aliorumque graduum academicorum.—Nemo in collegium facultatum adsciscitur, nisi morum integritate commendetur et in aliqua publica universitate doctoris lauream ejusdem facultatis assecutus sit.

575. — III. Professores communiter deliguntur per concursum, prius exhibito testimonio scientiæ et morum, inter eos qui laurea doctorali donati sunt in ea disciplina quam tradere debent. Professores tenentur ad præscriptum constitutionis Pii IV, datæ an. 1564, emitte publicam professionem fidei; quo enim certius Ecclesiæ constet fidei puritatem integram custodiri in scientiis, doctrinisque quibuslibet tum tradendis, tum addiscendis, decrevit sua constitutione Pius IV quod deinceps nullus doctor, magister, regens, vel alius cujus-

cumque artis et facultatis professor, sive clericus, sive laicus, vel cujusvis ordinis regularis sit, in quibusvis studiorum generalium Universitatibus, aut gymnasiis publicis... lectoris cathedram assequi, vel jam obtentam retinere valeat, nisi dictam professionem emiseric.

Leo XII professoribus Universitatum suæ ditionis temporalis indixit ut cursu typis impresso utantur et horæ dimidium in explicando insumant; tempus autem quod superest, in interrogandis et exercendis auditoribus. Professores sacrorum et legalium studiorum, item professores logicæ, metaphysiæ et ethicæ, lingua Latina uti debent in explicationibus; professores eloquentiæ, linguarum et aliorum hujusmodi studiorum, lingua Latina vel vernacula loquuntur, prout res de quibus agunt expostulant.

Professores semel canonice electi nequeunt pro arbitrio a cathedra depelli. Si graviter suo officio deliquerint, cancellarius aut rector eos a munere exercendo ad tempus removeere potest; sed privatio tituli nequam infligitur nisi instituto iudicio, lataque sententia, juxta statuta uniuscujusque universitatis.

576. — IV. Gradus in Universitate conferuntur, quibus authentica sit significatio meriti, scientiæque adeptæ. Tres gradus numerantur, scilicet: baccalaureatus, licentia et doctoratus.

Juxta præscriptum Leonis XII pro Universitatibus ditionis S. Sedis, baccalaureatus et licentia his solum conceduntur qui, examine instituto, digni renuntiati fuerint a tribus membris collegii per rectorem designandis. Examen pro bæcalaureatu habetur de omnibus quæ primo anno cursus scholastici; pro licentia, de iis quæ secundo et tertio anno traduntur. Qui vero lauream petunt in facultate theologica, experimentum subeunt de omnibus quæ universam disciplinam respiciunt: requiritur ut duobus saltem annis, tum sacræ Scripturæ, tum historiæ ecclesiasticæ prælectiones audierint, et etiam ut integrum

cursum theologicum absolverint quem duo professores quatuor annis conficiunt. Qui studiis absolutis in alia aliqua publica Universitate, vel in seminariis episcopalibus, exoptant laurea insigniri, possunt admitti a rectore ad experimentum, cum prius exhibuerint testificationes de studiis recte peractis. Duplex experimentum subeunt: primum verbaliter, interrogationibus vel argumentationibus; alterum scriptis, exarando dissertationem latino sermone de argumento proposito, absque librorum aut scripturarum præsidio. — Baccalaureatus et licentia possunt conferri privatim; laurea autem publice semper conferuntur in aula Universitatis, solito apparatu. Extranei qui baccalaureatu aut licentia præditi non sunt, possunt hos duos gradus una cum laurea adipisci.

In veteri Universitate Parisiensi difficiliore erant conditiones ad periclitandam candidatorum doctrinam. Antequam aliquis ad baccalaureatum contenderet, oportebat ut lauream artium obtinisset, biennio in studiis rerum philosophicarum impenso. — Adepta laurea artium, per triennium operam dabat studiis theologicis, quibus persolutis, bis sui periculum faciebat, subeundo primum examen publicum de philosophia, alterum de attributis divinis, Trinitate, Angelis, etc. Si autem duplici huic præviæ probationi satisfecerat, admittebatur ad sustinendam thesim (*tentativa* dicebatur), quæ per quinque horas protendebatur. — Licentia his solummodo conditionibus conferebatur: 1<sup>a</sup> ut baccalaureus per tempus determinatum, id est saltem biennium, scholas publicas theologiæ frequentavisset; 2<sup>a</sup> ut per idem tempus singulis thesibus præsens adfuisset, et sua vice argumenta proposuisset; 3<sup>a</sup> ut tres theses solemnes ipse propugnasset, scilicet: *Minorem*, de sacramentis in genere et in specie, per quinque horas; *Majorem*, de religione, de Ecclesia et de controversiis catholicorum cum hæreticis, per decem horas; *Sorbonicam*, de gratia, incarnatione, etc., a sexta hora matutina ad sextam vespertinam. Conditionibus impletis, baccalaurei, oratione publica ab uno ex illis habita,

postulabant *missionem a schola*, unde plures conjiciunt ortam esse denominationem *licentiæ* (licentiatus a schola), quam alii interpretantur de licentia data gradum supremum doctoratus capessendi, cum voluerint. — Doctoratus laurea conferebatur post novas exercitationes et publicam thesim. Qui tamen hunc gradum assecuti fuerant, non idcirco idonei reputabantur ad obeundum munus magisterii in scholis Universitatis, nec admittebantur ad comitia, seu ad collegium facultatis, nisi aliam thesim cum laude sustinuissent, quam ultimam probationem *Resumptam* vocarunt.

577. — Præter doctores qui gradus academicos assecuti sunt servando regulas exercitationum publicarum, et qui dicuntur *graduati in forma*, alii titulum doctoris obtinent beneficio S. Pontificis, vel alicujus prælati majoris cui Pontifex id jus tribuerit, vel etiam ab Universitatibus quæ honoris causa sibi cooptant extraneos quos ex fama publica, et imprimis ex operibus in lucem editis, hac laude dignos existimant.

578. — III<sup>o</sup> *Quæ sint privilegia Universitatum et graduatorum?*

I. Universitates plurima privilegia obtinuerunt a Sancta Sede, præsertim: 1<sup>o</sup> facultatem publice in scholis docendi theologiæ ac sacros canones; 2<sup>o</sup> facultatem gradus academicos conferendi qui ubique valeant, adeo ut graduati potiri possint juribus sui tituli in omnibus Ecclesiis; 3<sup>o</sup> immediatam subjectionem S. Ecclesiæ Romanæ, in iis quæ attinent ad regimen generale et jura Universitatis.

Sæpius SS. Pontifices elegerunt et deputaverunt Episcopum loci in præsidem et cancellarium Universitatis, cum jure eam regendi, et gradus conferendi, de consilio et assensu doctorum; at nonnullas e celebrioribus Universitatibus in suam et Beati Petri peculiarem clientelam susceperunt, statuendo ab alia quacumque ecclesiastica jurisdictione liberas fore. Id in specie Universitati Parisiensi olim concessum esse plura monumenta tradunt, et testabatur Clemens XI in constitutione *Circumspecta*



*Romanorum*, an. 1716, qua theologiæ facultatis *immunitates, libertates, prærogativas et singula privilegia, præfata immediatæ subjectionis S. Sedi duntaxat excepto*, suspendebat, ob agendi rationem plurium doctorum hujus facultatis in causa Bullæ *Unigenitus*.

II. Doctoratus, ac etiam licentia, clericum idoneum efficit ad certa officia suscipienda pro quibus canones gradus requirunt, atque ad delegationes apostolicas obeundas, ut alibi explicatur. Sic, v. g., Vicarius capitularis, cæteris paribus, inter doctores vel licentiatos, jure communi seligendus est.

Doctoratus insuper inducit præsumptionem legalem doctrinæ et integritatis, quæ graduatum eximit ab onere novi testimonii, si quod examen sit requisitum ad consecutionem officii, et tribuit jus prælationis in cæteros quando agitur de collatione quorundam beneficiorum.

Inter doctores assignantur gradus præeminentiæ, qui nec uno et eodem modo ubique servantur. Communius doctores *in theologia* sedent ante doctores *in jure*. Qui pluribus gradibus insigniuntur, illos præcedunt qui unum duntaxat habent: unde doctor in theologia et jure præfertur ei qui solam lauream theologalem obtinuit; doctor in utroque jure præfertur doctori in jure canonico duntaxat.

379. — Ex regulis in præsentī sectione datis sequitur facultates theologiæ, a gubernio civili Galliarum in Universitate constitutas, non posse suis alumnis conferre gradus qui vim habeant in Ecclesia, siquidem auctoritas Sanctæ Sedis illas neulquam approbavit; imo multa certe obstant quominus approbentur, quamdiu immutatus non fuerit illarum status.

Concilium provinciæ Remensis et concilium Avenionense, habita an. 1849, decreta ediderunt quibus instaurarent pro suis provinciis pristinarum facultatum theologicarum morem conferendi quotannis gradus academicos<sup>1</sup>. Mens concilii Suessionis-

<sup>1</sup> Conc. Suessionense, tit. xviii, cap. iii; — Conc. Avenionense, tit. x, cap. iii.

nensis fuerat componere cœtum ex spectatissimis et doctissimis viris constantem, qui, auctoritate Metropolitanī et Episcoporum comprovincialium fretus, clericis locum designatum adeuntibus periclitandæ causa suæ scientiæ, et qui examine peracto digniores renuntiati fuissent, titulos conferret gradibus æquivalentes, non valituros tamen nisi pro provincia Remensi, usque dum Sancta Sedes approbationem canonicam concessisset ut iidem gradus ubique valerent. Concilium Avenionense instituendum statuerat collegium provinciale, in quo studia duobus annis absolventur, juxta ordinem et methodum in programmate describenda. Eligendi erant, clerici numero præfinito, e singulis diœcesibus et a suis Episcopis mittendi; Episcopis etiam curæ fuisset examinatores et judices (unum quisque e sua diœcesi) eligere, qui gradus academicos conferrent, statuto tempore, præviisque publicis exercitationibus. Utrumque concilium providerat ut bene merentibus signa distinctiva et præmia darentur, beneficiorum quorundam reservatione, aliave ratione, prout Episcopis visum fuerit. — Hæc autem statuta proroganda censuit S. Pontifex, qui, donec aliter studiis publicis theologiæ et collationi graduum provisum fuerit, benigne annuit nonnullis Episcopis ut auctoritate apostolica conferant lauream baccalaureatus et licentiam clericis suæ respective diœcesis, quos, per publicas exercitationes probatos, dignos judicaverint.